

www.e-rara.ch

**Clementis Alexandrini, viri longe doctissimi, qui Panteni quidem
martyris fuit discipulus, praeceptor vero Origenis, omnia, quae quidem
extant opera**

Clemens

Basileae, anno 1566

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-1331>

Scholia in obscuriora aliquot Clementis loca

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

SCHOLIA IN OBSCURIORA

ALIQVOT CLEMENTIS LOCA.

Pagina 6. C. uersu 9. Est aut uetus.) Ade est error uetus, res autem noua est salus per Christum.

2. B. 13. Ex columna.) De columna ignis loquitur, quae Israelitis exeuntibus ex Aegypto duce Moise apparuit.

8. B. 5. Statue aleuromantes.) ἀλευρομαντῆς in farina, ἀλεουμαντῆς in hordeo diuinat.

8. C. 6. Siue Dardanus.) Dardanus Iouis quidē filius, Phrygum autem Rex, primus dicitur incepisse mysteria Cereris.

Ibidem 7. Ab Odryso.) Odrysus Rex Thracum, cum quo gens habet idem nomen.

9. A. 2. Et Phallus traditur.) φάλλος lignum esformatum in speciem membri uirilis.

9. A. 5. Appellata est Brimo.) βριμῶ ἀπὸ τῶ βριμῶ, quod est fremere & irasci.

9. A. 7. Et Cybele.) Rhea dicitur Cybele, Cybele enim sunt montes Phrygiae, in quibus ea colitur.

9. A. 16. Sabaziorum.) Sabazia mysteria quae fiebant Dionysio, quae ex Ioue suscepit Proserpina, quem nominabant Sabazium & Zagreum.

9. B. 2. Collegerit Proserpina.) Proserpina Zagream Dionysum Tauri formam seu Taurina specie appellauit, propterea quod esset ualde agrestis.

9. B. 10. Pineae nux.) κάρυος ἢ ῥόμβος, quae & nucem pineam & trochum significant, sunt etiam genera saltationis.

9. C. 7. Thesmophoria celebrant.) Thesmophoria est festus dies Cereris, sic appellatus, quoniam uenā cum inuentione fructuum Cereris excogitatae sunt leges, quae θεσμοὶ dicuntur, cum prius ferarum instar uiuerent.

9. C. 17. Super puteum.) Hunc puteum ueteres appellabant κελαιχώρα. Dicit enim Callimachus, κελαιχώρα τῆς φρήτις κατὰ τὸ πάλαιον ἀπὸ τῆς φρήτις.

10. B. 8. Dionysi Bassari.) Bassara dicitur indumentum Bacchicum.

10. C. 6. VI Menagyrtes aliquis.) Menagyrtae uocabantur Rhae Sacerdotes, quod pecunias singulis mensibus colligebant, pagos, urbes & domos obiectas ac mendicantes, & simulachra ferentes in humeris. Hi etiā uocantur μητρὸς γόρται, quod matrē Deorum ferentes humeris, colligerent pecunias.

10. C. 8. Et foemininum morbum.) Foemininum, ut puto, morbum dicit, qui conuenit foeminis: uel uoluptatem, ut quae emolliat & effoeminet corda uiro- rum fortium.

10. C. 9. Eumerum Agrigentinum.) Eumerus est hic, quem quidam dicunt Messenium, cuius meminit Callimachus in Choriambis, dicens, ἔμερον ἀλάζωρον ἀδινὰ βέλτα φέρον, qui malē audiebat ut ἀβέρον.

10. C. 10. Et Diagoram.) Diagoras Philosophus fuit Melius genere, qui cum esset pius à principio, conuersus est postea ad impietatem. Hac de causa, cum is qui depositum acceperat, esset inficiatus, dixit, id

quod est praestantius, nō respicere res humanas: neque enim tan improbum hominem fuisse passurum. Huius meminit Aristophanes, cum dicit Socratem Meliū, id est, Diagoram. Hipponis autem, qui ipse quoque fuit impius, meminit Cratinus.

11. A. 15. Conijcere est difficile.) Graecè est ἀναπαύσθαι, id est, coniectu & comprehensu difficilis. Deriuatur autem ἀναπαύσθαι, quod est locus: alludit uerò ad id quod dixerat, continet.

11. B. 8. Priscus quoque Epimenides.) Is Epimenides purgauit Athenas: erat autem Cretensis, sapientissimus, cuius meminit Menander in Cozcanomenis.

11. B. 19. Ad uiuum ostendere.) Ad uiuum, ἢ ἡ χερσὶν in cute, id est, propè uel uerè. Sic Hieremias, Deus appropinquans ego sum, id est, uerus.

12. A. 20. Mensibus is dolio.) Dolium, Graecè κέρταμος. Fuit autem κέρταμος carcer: sic enim uocatur lingua Cypriorum.

12. C. 5. Poemata Cypriaca.) Cypriaca poemata quae sunt dicuntur cyclica. Continent autem raptum Helenae. Ignoratur autem scriptor horum Cyclicorum. Cyclici autem dicuntur, qui quae sunt circa Iliadem uel priora uel posteriora, ex ipsis cōscripserunt Homericis.

12. C. 13. Dicæarchus autem gracilem.) οὐξία gracilis apud Atticos, ut ait Diogenes, seu tenuis ac subtilis.

12. C. 18. Macar autem.) Meminit etiam Macaris Homerus, cum dicit, ἄραρον δὲ σὺ δὲ ἀνο μάκαρος ἰδὸς ἰστὸς ἰσπυας.

13. C. 17. In Sagra mysteria.) Sagra urbs Italiae, à qua etiam pro uerbum, Veriora ips quae in Sagra.

14. A. 13. Qui Ilotes uocatur à Lacedaemonijs.) ἰλωτῆς uocantur Mesenij, uel à palude quae sita est prope Lacedaemonem, uel à uerbo ἰλω. Lacedaemonij enim cum eos cepissent, condemnarunt eos colere paludem, quod est uile & seruire officium. Sicut Penestae apud Thessalos, & Thetes, id est, mercenarij, apud Athenienses, sic apud Lacedaemonios Ilotes.

15. A. 2. Ex quercuue petraue.) Petra, ut ex qua natos esse homines sit in fabulis.

15. B. 1. τῆς βασιλῆος.) forte leg. τῆς βασιλῆος Venus, quae facit ascendere. Scholia interpretantur ἀσχημοποιῶ, id est, quae turpes efficit figuras.

15. B. 3. χερσὶ ἀλάζωρον.) χερσὶ ἀλάζωρον Dionysus colitur in Sicyone Bœotiae, ut dicit Polemo in epistola ad Attalum. Accipitur autem χερσὶ ἀλάζωρον pro τίλλωρον. Est autem χερσὶ pudendum muliebri, ut testatur Aristoph. in Achar. dicens, χερσὶ χερσὶ νὸ νοὶ δὲ γόγυς αὐτῆς βίβωρον.

15. C. 1. Thebani autem mustelas.) Continet historia quod cum in partu laboraret Alcumena, accessit mustela & statim peperit Herculem, & ideo eum colunt Thebani.

15. C. 4. Quos ipsi appellant *οὐίνους*.) Cum Cretenſes expeditionē feciſſent aduerſus Troianos, & caſtrametati eſſent prope Troadē, mures noctu ar-rodebant lora clypeorum. Hinc factum eſt ut tem-plum extruerent Apollini: ſua autem Cretenſū lin-gua eum uocarunt Smynthium: mures enim Creten-ſes appellant Smynthos.

15. C. 15. Colitur autem quidā quoq; heros Pha-leres in puppi.) Phalereus erat portus Atticæ. Qui autem in proris erat Heros, is erat Androgeus filius Minois, ſic nominatus, quoniā collocabatur in pro-ris nauium. Et Callimachus meminit in quarto Cauſarum.

16. A. 2. O Bœotie nō te pigeat dicere.) Bœotic, id eſt, ὁ Heſiode: erat enim Bœotius genere.

16. A. 19. Ithomete Ioui trecētos maſtauit.) Itho-me eſt urbs Lacedæmonie, quā etiā dicunt eſſe Meſſenem, uel potius ubi eſt arx Meſſenæ, ſicut olim arx Argorum dicebatur Lariffa.

16. B. 7. Et Leſbios Dionyſo.) Hæc eſt libri in-ſcriptio, qui cōtinet reditum eorum qui reuerſi ſunt ex Troia.

16. C. 11. Prodidit Croeſum.) Super pyram enim cū eſſet Croeſus, ſic dixit, ut ait Herodotus: Quæ autem mihi acciderunt, ingrata quidem, ſed docue-runt uerū eſſe quod dicit Homerus, *παλὸν δὲ τὴν ἄνθρωπος ἄνθρωπος*. Paſſus autem ſtultus cognouit.

17. A. 2. Phoroneus erat genere Argiuius, Me-rops autē Couſ.) Oraculum circa Lebadiam Bœo-tiæ fuiſſe primū à Phoroneo inuentū, cū ijs qui Dij cenſentur ſacrificaiſſet. Scribitur ſimiliter etiam à Merope.

17. A. 4. Inter Deos antiquiſſimos.) Antiquiſſi-mum Deorum amorem cum Chao & Terra fuiſſe natum dicit Heſiodus, cū dicit, *ἦτοι μὲν ἀπὸ πρῶτης ἀρχῆς ἦν τὸ πρῶτον ἀνεῖναι γὰρ ἀπὸ πρῶτης ἀρχῆς*.

17. A. 9. Diceret Philippides.) Hic Philippides erat *ἡμφοδὸς ποιοῦς*, id eſt, tabellarius ſeu ueredarius, ut dicit Herodotus. Deinde cū Xerxes in Græciam fe-ciſſet expeditionem, is profectus ad annunciandum Laconibus aduentum Xerxis, in monte Parthenio uidet ſpectrum Panis eo in loco, & audit cuiuſnam demonis eſſet uiſum, & quod ueniret laturus opem Græcis, & ab eo tempore Pan eſt exiſtimatus Deus ab Atheniēſibus: & cū ſpeluncam quæ eſt ſuper A-reopagum ei ædificaiſſent, coleatū hircum ei quot-annis ſacrificabant.

17. B. 2. In Didymæo.) Didymæus enim Apollo Mileti colitur, uel propterea quod ſimul cum ſoro-re Diana natus ſit, uel quod ſint illic duplicia eius ſa-crificia.

17. B. 3. Hic Leucophrynes.) Leucophryne uo-catur Diana in Magnēſia.

17. B. 4. Zenonem Myndium.) Myndus eſt urbs Carie, & Telmiſſus urbs Carie, quæ optimos ha-buit uates: unde erat Ariſtander, quicum Alexāder uerſabatur, quando ædificauit Alexandriam.

18. A. 7. Qui uocatur Phellata.) Phellatas lapi-des uocant quidam à mōte Phelleo, lapides aſperos,

ut Ariſtophanes Comicus *αἰγῶν ἐν φέλλαις*, capras ex Phelleo, utpote loco aſpero.

18. A. 11. Dianæ Munychiæ.) Munychia Dianæ colitur in Piræo. Vnde etiam pars portus uocata eſt Munychium.

19. C. 6. Minerua Poliadiſ.) Dolias Minerua co-litur Athenis, quæ etiam *πολιχός*, id eſt, præſes ciui-tatis, eſt autem poſita in arce.

20. A. 1. Liberalis autem.) Liberalis Dionyſus, qui colebatur Liberis: eſt autem is locus Bœotie.

20. A. 4. In Iouis Olympij digito.) Alij dicunt in digito Mineruæ, ex quibus eſt etiā Gregorius Theo-logus, cū dicit, *ἡ δὲ φησὶ τὰ πάλαι ἐν τῷ δακτύλῳ ἔκτανον ἡρώδης πᾶν τὸ πᾶν καλός*: Et Phidias qui puſſionem pingit in digito Pantarces pulcher. Liba-nius autem Sophiſta dicit Phidiam pinxiſſe in digi-to Veneris.

20. A. 10. Ad Alcibiadem.) Alcibiades dux exer-citus Athenienſium, uir & forma elegans, & eta-te iuuenis, adeo ut multæ ſceminæ eum inſanè ama-uerint.

20. B. 9. Demetrium ipſum.) Demetrius fuit Rex Macedonum & Græcorum. Quoſdam autem à ratione alieno cęſtro incitatus, Mineruam uxo-rem ambijt.

20. B. 13. Lamiam meretricem.) Lamia quidem hæc fuit, propter quam laruæ quæ ſunt appellantur lamie, quæ ſucriſ terribilis infantibus: nam cū ſuos perdididiſſet filios, ueluti quodam inuidiæ cęſtro percita, ſerebatur in cædem alienorum.

20. B. 15. Hipponi inuidendum.) Hippo quidā fuit ex ueteribus ſapientibus: exiſtimauit autem nō eſſe deos, ſed exiſtimari ſolum ab hominibus.

21. B. 13. Illexit in barathrum.) Barathrum eſt locus Athenis profundiffimus, in quem iniiciebātur damnati, quorum ne corpora quidem apparebant amplius. Erant autem alibi quoq; loca ſupplicio de-putata, quemadmodum Cætas Lacedæmonæ, Car-cer autem Romæ.

23. C. 17. Democritus Abderitanus.) Abdera eſt oppidum Thraciæ, ſic appellatum ab Abdera uno ex ſocijs Herculis, qui fuit illic deuoratus ab equis Diomedis, quos quidem equos interfecit Hercules, & ab Abdera qui ab eo amabatur uocauit oppidū. Eadem etiam ſcribuntur de Perithoo, qui fuit etiam amatus ab Hercule, & ab illo illic mortuo & ſepul-to ab Hercule nominata eſt urbs Perinthus.

31. C. 16. Tertiumdecimum Macedonem.) Anti-quiffimi enim apud Græcos, ſi audiendus eſt Hero-dotus Halicarnaffeus, ex Aegypto comparata ſabis la, octo primū in Deos relati ſunt. Deinde cū in mi-niam Græci redacti eſſent ſuperſtitionem, duode-cim omnes ſunt exiſtimati.

32. A. 6. Gorgopin & Ergatin.) *γργων* & *εργα* *τιν* epitheta Mineruæ, quorum primū ſignificat o-culis truceſ, ſecundum quæ delectatur operibus.

33. C. 10. Maligni cōmoda.) Maligni cōmoda dicit ceteros ſenſus, quoniam ingrediens per ſenſus hominem afficit iniuriā.

36. C. 7. Et uerbo incruentū.) Non est enim, inquit, nobis pugna aduersus carnē & sanguinē, sed aduersus principatus, aduersus potestates tenebrarum, aduersus spiritualia nequitiae.

31. C. 2. In incesta uisceracione.) Crudas enim carnes comedebant, qui Dionysio initiabantur, hoc peragentes indicium dilaniationis Dionysi, quae facta est à Menadibus.

42. A. 5. Et cum figura.) Illud, in figura, non est accipiendum, ut uolebant qui inducebant phantasiam, seu uisionem, sed ut Paulus, qui ipse quoque dicens: Habitu inuentus ut homo, liberat nos ab errore Docitarum, seu phantasticum corpus in Christo statuendum. Significat autem Paulus, ut uerus fuit homo, ueram quoque formam hominis suscepisse.

42. B. 3. Ea autem sedem.) Ratiocinandi siquidem facultas locata est in cerebro, ira in corde, cupiditas in iecore.

43. A. 7. Si ergo homo est propter.) Quoniam enim sua qui comprehendere non potest sapientia, praeuidit hunc mundum declinare ad interitum, & necessario opus habere ut corrigatur: ne tantum opus frustra constituisset, censuit id non aliter futurum, nisi per suae unius creaturae tractationem, ea ueluti instrumento usus, ut id quod lapsum erat corrigeret. Prius ergo hominem constituit, opus dignum sua reformatione, per quem eius quae rationem superat aeternitatis peracta est uoluntas.

43. B. 1. Verbum fidei.) Id est, eorum quae dicuntur confirmatio Dominus.

44. B. 15. Neque uerò ita.) Non sic habet Euangelium: dicit enim, Generationem hanc cui assimilabor & subiungit parabolam puerorum ludentium in foro.

44. C. 2. Agnelli stent à dextris.) Nec hoc sic habet liber Domini: non dicit enim agnellos stitisse à dextris, sed oues.

45. A. 11. Et pullum.) Ligans ad uitam pullum suum, & ad uinē capreolū pullum asinae suae: pullum uocat nouum populum Christianae reip. Vitem, Gentem quae ex lege Mosaiica, & illius plantatione, se iactabat de Dei cognitione. Et quod ita sit, Esaias filius Amos, & Dauid filius Iesse possunt esse testes fide digni: ex quibus alter Milech dicit, Vites Domini domus Israel: Dauid autem Iesse filius, Vineam ex Aegypto transtulisti. Ad hanc uitam pullum suum ligare dicit id quod est in manibus eloquium, illum ipsum qui deficientibus ijs quibus ex tribu Iuda obtinebat imperare, ipse erat praefuturus, futurus quidem expectatio Gentium, nec tamen cum esse expectationem Gentium, quae Veteris testamenti confirmatam gloriam alienet & abroget, sed quia gentilem superstitionem sperans fore ut comprimeret, legalium rituum nullum abrogauit. Vnde primi quidem praedicatores fidei in Christum, ut qui adhuc dicerentur esse Mosaiicae paedagogiae, existimabant nihil oportere aboleri Veteris testamenti à Nouo, non Circumcisionem, non Sabbatismum, non

ab aliquibus cibis abstinentiam, illud ipsum praeseferentes, esse pullum ad uitam alligandum. Et haec quidem ita se habuerunt, donec Iacobus frater Domini secundum carnem, & Paulus diuinus Apostolus, Legi quidem nimiam purgationem, & nimis anxiam de cibis curam rescuerunt: Gentilem autem nauem paucissimis agitari permiserunt, nempe ut se abstinerent à fornicatione, immolatis, & suffocato: quando qui praedictus esset ad uitas capreolos alligandus, pullus uenit ad opus, & qui ex uno ex Mosaiicis praecipitis, nempe de diuinitate, colligabatur uiti, & ex Mosaiicis institutionibus uelut ab obstetricis primò eductus fuerat, ex meliori rursus, nempe Apostolica quae est in Christo cognitione scilicet, prodit in lucem, liberatus à iugo Legis, & in liberam adductus rempublicam. Ac de uite quidem & ad uitas capreolum alligato pullo quod adducit eloquium, satis aptam, ut existimo, habuit contemplationem.

47. C. 12. Gratia, illuminatio.) Ex his tractandi rationem sumpsit Gregorius cognomine Theologus in oratione, quae inscribitur *de p̄tra*.

48. A. 11. Ipsi enim uos.) Hoc quoque congruit cū propheta Hieremiae quae dicit: Omnes me noscent à paruo usque ad magnum eorum.

50. C. 14. Sed illud.) Quod dictum est ab Apostolo de uerbis quae non licet homini loqui, non ita accipiendum est, quod quae dixit sint tacenda. Quomodo enim, cū ipse in suis multa proferat Epistolis? Qui enim non erat Apostolus cum Christus in hac nostra uita ageret, quomodo dicit, Ego accepi à Domino, quod & tradidi uobis? Et rursus: De uirginibus praecipitum Domini non habeo? Non significat itaque, non esse enunciandum, sed, non licet, significat cum tanta auctoritate & dignitate ea dicta esse, quanta assequi nequeat humana natura. Huius rei fides fit ex ijs quae dicuntur in Euangelio de doctrina Christi, quod docebat turbas cum potestate, sed non ut Scribae & Pharisei, scilicet cum adulatione.

63. A. 4. Duplex.) Duplex est metus: unus quidem qui inchoat, qui etiam conuertit, ut est metus eorum qui metu suppliciorum conuertuntur à peccatis: alter uerò perficiens, de quo etiam dicit Dauid: Timeat Dominum omnes sancti eius, quoniam nihil deest metuentibus eum.

64. A. 14. Et dixeritis, pater.) Et quomodo Gregorius Nyssenus in expositione orationis Dominicae, dicit eos qui tenentur peccatis, si dicant Pater noster, non bonū Deum uocare patrem, sed aduersarium? quod uel non conuertentur labijs, ut uocent Patrem, uel non ex toto corde.

69. A. 7. Casus est.) Sicut indigna res est charitatem à caelo detrahere, ita etiam sumptuosam cenā in charitatem, nempe agapen conuertere.

72. A. 7. A uerbi floribus.) Florum non meminit intempestiue, sed quia paulò post & plantarum & fontis & irrigationis erat usum adducturus, iure prius accepit florem qui nascitur ex plantis.

77. C. 5. Theridei calices.) Sunt hæc genera poculorum. Theracleū est quod fundo spherico impositū habet instar infundibuli, ex quo est facile bibere. Antigonium, quod absque fundo spherico desinit in acutum. Cantharus autem est peluis quidem simile, supernè autem tectum operculo, cuius os in medio iusta patet symmetria, & in extrema parte circumferentiæ ostiolum, ex quo bibere potest qui id aperit. Labronium est poculum factum in formam aspidis, ex quo pleno hauflu potest ingurgitare qui bibit. Lepaste est in formam olle, & una ansa apprehenditur. Pyster est figuræ cylindricæ segmentum, quod sectionis cylindricæ innititur columelle, qua & stare & apprehēdi potest. Prochois, quæ etiam dicitur œnochoe, est uas quoddam sphericum, ansa una & uno saliente instructum, ex quibus ansa quidem apprehenditur, saliente uerò humidum quod est intus reconditum effunditur.

36. A. 4. Nam neq; genu.) Per hæc uidetur tale quid significare, quod nec in nominibus membrorum cōsideratur turpitudine: neq; enim tibia, nec genu, uerbi gratia, turpe quid significant, ut neque os, nec lingua, sic nec uerendum: sed si rem accurate oportet perpendere, honestas quædam nomini tribuitur, significans uerendum id de quo dicitur. Sic etiam patrem & superiorem aliquem uerendum dicimus, ut etiā Helena apud Homerū suū socerū.

84. A. 17. Sermonem ne iteraueris.) Et quomodo Samuelis Anna eadem sepe in sua oratione repetit, & nos sepe repetentes Kyrieleison, minime improbanur? sed existimo eloquium minime hoc dicere, sed quod quæ Deo uouerimus, ea esse Deo statim reddenda, nec expectandum ut idem rursus promittas, perinde ac si putaremus uerbis adimpleri gratiam, & accessione præstiti promissi uellemus nostrorum morum ostentare insolentiam.

85. B. 19. Brenthium.) A quodam suauis generis floris sic dictum. Metallum, a quodam Metallo qui inuenit.

Ibid. Plangonium, ab inuentrice Plangone.

85. C. 1. Et baccari.) Baccari genus unguētī Barbarici.

96. A. 3. Crobulo.) Huius Crobuli meminit etiā Thucydides in proœmio quarti Peloponnesiaci. Erat genus reticuli crobylus, ab extremis crimes extendens ad uerticem, deinde eos deducens in acutū, qui perforata aurea cicada constringebantur ne deorsum diffuerent.

96. A. 12. Ipso mundo.) *νεσμεε* mundum & ornatum significat, sicut etiam muliebris mundus Latine dicitur.

97. B. 11. Xystides.) Xystis est genus uestis admodum subtile, unde etiam dictum est *ἀνδρῶν ἱστῶν*, quod sit ueluti rasum propter tenuitatem. Ephaptis autem idem est quod lena. Est enim utrunque genus uestis penulæ simile, quod indutis uestibus imponitur. Est autem ephaptis lena preciosior.

97. C. 12. Trahere autem uestes.) Vi insani Nicolaitæ, qui ipsum cacodæmonem ducem imitantur.

97. C. 18. Talarem Domini uestem.) Legis dicit uestem sacerdotalem: sed hoc erat signum mysticum: significat enim, ut arbitror, nihil esse diuinorum mysteriorum prophanis euulgandum: siquidem pedes significant transitum actionum, sicut etiam Dauid dicit, obseruari calcaneum ab improbis. Et alibi dicit, in malo die se timere iniquitatem calcanei.

98. A. 5. Sicut Lacenas uirgines.) Quæ eò quod femora ostenderent, uocabantur *ἑρμῆας*.

98. A. 7. Pulcher cubitus.) Hoc dixit quippiam intuitus cubitum mulieris Lacedæmonia: quæ respondit, Sed non publicus: nam & sine manicis saltabant, ad eò ut ab humeris uideretur & brachiū & corpus, idque adhuc uidetur in ueteribus statuis. Quæ manicis autem non utebantur, dicebantur *ἄνισται*: erant enim Dorienses Lacedæmonij. Quæ autem utebantur, *ἰνυλαί*, ut uxores Atheniensium. Vocabantur autem Athenienses Iones, ob missam coloniam. Hoc autem faciebant Lacedæmonij, ut uiriles efficerent mulieres, Athenienses uerò ut effeminarent.

99. A. 3. Fuscas aut uirides.) Fuscus color dicitur qui non est admodum albus: tales autem sunt qui uocantur Sardonychi, qui quidem sunt naturales: non habent enim album ualde lucidum, si non sint artificiales. Quinetiam addantur his Sapphiri, nam illi quoque ad album cum fusco uergunt. Sunt autem multi quoque uirides Iaspides, & Smaragdi, & alij multi. Quæ ab externi autē maris aestu expelluntur, sunt quæ dicuntur margaritæ: enascuntur enim ex ostris sinus Persici. Terræ autemamenta sunt omnes gemmæ: tales enim sunt, Lychnitæ, & Carbunculi, & Amethysti. Præterea autem Berilli & Smaragdi, & Hyacinthi, & omnes ferè gemmæ. Topazij autem, si credendum est Agatharchidi, qui scripsit de rubro mari, inueniuntur in medijs quæ in eo sunt cautibus.

101. C. 1. Quæ ergo.) Hoc referendum est ad id quod superius dictum est, ut sit, Et non erubescunt non intelligentes spiritaliter ea quæ symbolicè dicta sunt, utpote quod mulieres adducerent ea quæ dicta sunt, creaturas, gemmas, & gemmarum colores.

180. B. 15. Aristophanes ostendit.) Sunt hæc nomina ornamentorum mulierum apud Aristophanē: quæ & cuiusmodi fuerint ignorantur, nec possunt reddi Latine.

101. A. 17. Si sunt enim.) Si sint pulchræ, sufficit natura, ne contendat ars cum natura. Sin autem sint natura turpes, seipsas arguunt, ex eo quod applicat quod non habent.

104. B. 1. Depressior est.) Est quidem hic locus Græcè corruptus, sed hanc esse existimo sententiam.

I N C L E M E N T E M .

106. A. 8. Mastichen rodentes, ut sordes scilicet ex dentibus emundent.

106. A. 9. Metoposcopus, qui ex frontis inspectione hominis naturam coniectat.

107. B. 2. Et coxarum.) Coxarum, Græcè *λεπτομήκεις*, id est, posteriores lumborum partes constringendo, antè protendere pectus. Id enim significat *λεπτός*, quod est cōtrarium dictioni *μέγας*, id est, conuexus.

107. C. 8. Muliebria.) Sceleratas intelligit Tribades, quas uocant etiam Lesbias & Eteristrias.

109. B. 9. Circulatoribus, Græcè est *μεταγύγται*. Sunt autem Metragyrtae qui matri Deorum Rheæ dedicati, & præstigiis inducunt, & philtrea componunt, quos etiam Gallos uocant, qui sibi absciderunt uirilia, & sunt ad turpia patiendâ paratissimi.

109. C. 18. Meliteo catello.) Meliteus catellus

paruus & humilis, quem *μυροδαιμον* uocant, ex eo quod in altum non assurgat. Est enim *μυροδαιμον* diminutiuum à *μύρος*, quod paruum hominem significat. Dicitur autem Meliteus, à Melite insula in mari Tyrreno.

111. A. 13. Cynira ditior.) Cyniras fuit Cypriorum Rex longè ditissimus. Is fertur ab irata Venere impulsus, filia suæ Myrrhae stuprum intulisse, ex qua natus est Adonis.

112. A. 11. Sub rhamno.) Scriptura dicit sub iunipero, & *πανή ελαιοειδής*: est autem *ελαιοειδής* quod multi uocant *βρέμειον*.

115. A. 6. Qui Phenis dicitur.) Phenis ludus est eiusmodi. Ex ludentibus pueris quis sphaerā tenēs, deinde eam alij prius ostendens, eam ad alium mittebat. Ita autem dictus est uel à Phenicida qui prius inuenit, uel à uerbo *φρακίζω*, quod significat decipere. Decipiebat enim, ut qui alij quidem ostenderet, alij uerò traderet.

S C H O L I O R U M F I N I S .